

No. 314. 1294. 23. Juli.

*Markgraf Friedrich verleiht dem Bischof und dem Domcapitel zur Entschädigung das Patronatrecht der Jacobschapelle in der Wasserburg zu Meissen.*

Fridericus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio et Saxonum comes palatinus universis tam praesentibus quam futuris praesentes litteras inspecturis salutem in eo, qui est omnium vera salus. Cum ea, quae fiunt in tempore, breviter labantur a memoria, expedit, ut acta digna memoria scripturarum elucidatione sic servantur integra, ut usque in futurum circa gesta veritatis evidentia pateat incorrupta. Hinc est, quod ad notitiam universorum Christi fidelium cupimus pervenire, quod cum inter venerabilem patrem dominum Bernhardum Misnensem episcopum ex una, et nos super quibusdam dampnis et iniuriis Misnensi ecclesiae per advocatos nostros et iudices irrogatis ex parte altera fuisset dissensionis materia suscitata, saluti nostrae volentes salubriter providere, in recompensationem et restaurum, si qua ipsi ecclesiae iniuriose fuerant irrogata, dicto domino episcopo, capitulo et ecclesiae Misnensi ius patronatus capellae sancti Jacobi in Aquatico Castro sitae, cum curia et omnibus capellae pertinentiis liberaliter damus et dedimus cum omni integritate perpetuo possidendum, dantes eidem domino episcopo suisque successoribus liberam potestatem ordinandi de ipsa capella, prout cultui divino, suae nostraeque saluti ipsi magis videbitur expedire. In cuius rei evidens testimonium has litteras nostras dedimus sigilli nostri munimine roboratas. Testes huius sunt Henricus de Sueim prothonotarius noster, Henricus de Trebezin, Henricus de Kungisvelt, Reynhardus de Hersvelt, Reynhardus de Seuchin, Vlricus de Malticz, Thilichus de Hunsberg milites et alii quam plures fide digni. Datum Misnae anno dom. millesimo ducesimo nonagesimo quarto X. Kalend. Augusti.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Reitersiegel des Markgrafen an Fäden von rother, gelber und grüner Seide.

Wilkii Ticemannus. Cod. dipl. p. 110.

No. 315. 1294. 25. Aug.

*Markgraf Friedrich bestätigt den von seinem Grossvater, dem Kaiser Friedrich II. dem Bischof verliehenen Zehnten in dem fündig gewordenen Silberbergwerk bei Scharfenberg und verzichtet auf die ihm an demselben etwa zustehenden Rechte.*

In nomine domini amen. Fridericus dei gratia Misnensis et Orientalis marchio et Saxoniae comes palatinus universis praesentes litteras inspecturis salutem in auctore salutis. Cum in donationibus ad pias causas optima mensura sit immensitas, attendentes progenitoris seu avi nostri karissimi felicitis recordationis quondam Friderici imperatoris concessionem et donationem in decima argentea, quae ex nunc solvitur et datur vel solvenda fuerit in futurum de argentifodinis sive montibus circa Scharfenberg, in quibus iam metallum habetur et procedente tempore habebitur, Misnensi ecclesiae pie factas, venerabilem patrem et dominum Bernhardum episcopum eiusdem